AD MAGNIFICVM

Et Spectatissimum Virum Dominum IOHANNEM CIRENBERGIVM PROCONSVLEM CIVITATIS GEDANENSIS.



Ob Acceptum Synodalium Epistolarum *Concilij Basileensis* Αὐτόγραφον *sigillo eiusdem in plumbum impresso obsignatum, quod nobilissimus Dominus* THOMAS ROE *Eques Auratus, Serenissimi Magnæ Britanniæ Regis Legatus, ab eo sibi priùs officiosè oblatum, Oxoniensi Bibliothecæ transmisit ac dono dedit.*

CARMEN HONORARIVM.

OXONIÆ,

Excudebat IOHANNES LICHFIELD, Almæ Academiæ Typographus, *Anno Dom.* 1631.



CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE VIRO D. *JOANNI* *CIRENBERGIO* *Dantiscano.*

PRæclarè nobiſcum agitur, (Optime Cirenbergi) nec vno nomine felix *Bodleiana* noſtra, quæ Te quoq; benefactorem nacta eſt. Exiſtimabam Illuſtriſſimum Dominum D. *Th. Roe* Sereniſſimi Regis noſtri legatum, cùm ſuperiori anno triginta ſelectiſſima volumina manu exarata nobis dono miſiſſet, hîc ſubſiſtere voluiſſe. Sed avaritia quædam (vt videtur) vel in pietate eſt, & ferè ſui ſimilis, hoc eſt modum neſcit. Non contentus o-

pimis Græciæ ſpolijs, quibus ad invidiam vſq; armarium noſtrum locupletâſſet: Germaniæ quoq; bibliothecas excutit,

--Trahit quodcunq; poteſt atq; addit acervo,

& eodem tempore, cum legatione Regiâ ſimul defungitur Academicâ. Placeret affectus nobiliſſimi alumni, vel vndecunq; hæc literaria ſubſidia conquisîſſet: ſed cùm Te, tantum virum, Dantiſci agentem, qui doctiſſimus audis, & acerrimus Orthodoxæ religionis propugnator, nobis amicum conciliauerit: id adeò præter ſpem & ſupra quàm dici poteſt omnibus gratum accidit, vt priùs opprimi munere quàm ſentire benignitatem nobis videremur. Memini ante aliquot annos cùm ex Italiâ rediens Baſileam pertranſirem, inter alia egregia illius vrbis monumenta, quæ tum cupidè perluſtraui, me perductum à doctiſſimo theologo Iacobo Grinæo τῷ μακαρίτῃ ad Ædem ſacram in qua Patres illius Concilij conſediſſent; Incredibile eſt quantam ex illius loci contemplatione voluptatem cepi; vtpote in quo Epiſcopi noſtrates ſuffragia tuliſſent: ſed venturū aliquando eum diem, in quo *Epiſtolas Synodales* Authentico Sigillo cōmunitas,

nitas, non vſurparem oculis modò, ſed & *ipſe* in peculio Bodleiano percenſerem, ne per ſomnium quidem potui cogitare. Augurium fortaſſe, quod hodiernus dies eventu comprobauit. Atq; hoc (quantum qnantum) Tibi (vir Doctiſſime) acceptum ferimus, qui tam rarum monumentum è Scrinijs tuis exire, & in Angliam noſtram traijcere paſſus es. Quod quanti nos faciamus, ſi tibi in mentem venerit rogare, non dubitamus reſpondere, *immortalitati* commendatum eſſe, vel ſi mauelis, (quod tamen perinde) inter pretioſa Bibliothecæ κειμήλια recondi, vbi nuſquam gentium vel ſecuriùs, vel magis ad vtilitatem publicam libri reponuntur. In hæc tantùm (vir præſtantiſſime) te compellare audebam vale, & (niſi diſplicet) habe inter cultores Tui obſeruantiſſimos

I. Rovs *Academiæ Oxon:*
Bibliothecarium.



AD CLARISSIMVM DOMINVM *IOANNEM CIRENBERGIVM*,

Sacræ Antiquitatis Assertorem celeberrimum.

PRæteritum Cirenbergi qui retrahis ævum,
Abdita dum revocas post longi obliuia tractûs;
Qui celeris mansura Senis vestigia servans,
Caluitiem Historiâ supples, quas pectore pleno
Fundemus laudes? Te cæca volumina rerum
Saturniq; fugas, veluti Custode, tenente,
Ter vivit mortale genus; dum posthuma classis,
Non contenta suæ præsenti lumine tædæ,
Defunctis miscetur Avis, sortemq; Nepotum
Præuidet, hos animo versans ex lege Priorum.
Eminus (ô quales reddit Prudentia Ianos!)
Vtrumq; inspicimus mundum: quò tendimus annos,
Vltra natales nati, post funera vivi!
Dij sumus, & nullo spatij discrimine Tempus

Omne

Omne datur præsens! Non his in laudibus imum est,
Quòd quum sollicito veteres conamine nugas
Disquirant alij, monumenti mortua verba
Semesasq; notas, torvoq; nomismate cæsam
Cæsaris Effigiem, Priameio pollice tritum
Cratera, vnciolas Ephesinæ ex Æde Dianæ;
Antiquas veræ Tu Relligionis Idëas,
Sanctorum consulta Patrum, quæcunq; perennem
Instaurant Vitam, tu morte exempta refundis.
Non Clauos,, Lignumuè Crucis, suspiria Christi
Vitriolo inclusa, aut Guttam de Lacte Mariæ,
Baptistæ quintumuè Caput, paucosuè Capillos
Petri, quæ vendit meretrix Ecclesia vulgo:
Sed certa, vtilia, & nullis castrata lituris,
Nec mutata dolis, nec spuria stramine misto.
Basileense tuæ thesaurus Bibliothecæ
Decretum vt nostras divinitùs appulit oras,
Traducente pio Musarum Vindice Röo,
(Röo, cui grates nostras numerabit Arena,)
Obstupet Oxonium; nunc Te, nunc cogitat Illum,
Nunc Scriptis inhiat, voluit, manibusq; Sigillum
Contrectat; non sola fidem convivia Blattæ
His faciunt; *hæc* prima manus quòd virgine pennâ
Et natalitio sacraverit atramento,
En Testis Legalis adest; Plumbi ecce Figura!
Quâ credas spirare Patres, & vivere verba.
At Te, cui tantæ veneranda Oracula curæ,
Petri Petram aliam, Sancti Patremq; Senatûs
Iactamus; Christi œconomum, qui credita ponens
Nunc sponsam Christi Chartis dotalibus auges.
Nos ergo, Libri viventes, pectore firmo

Te

Te ſculptum retinemus; & alta mente precamur,
Nomen vt Autographo æternum tibi perſtet in illo,
Quod nemo excribit, quod rodit nulla vetuſt as.

GVILIELMVS STRODVS *ex Æde Chriſti,*
Oxonienſis Academiæ Orator Publicus.

IOHANNI CIRENBERGIO *viro inclyto & ob conſervatum ſuâ operâ Concilij Baſileenſis* Αὐτόγραφον, *cum de toto orbe Literario, tum maximè de Academiâ Oxon. optimè merito.*

SVſcipe, Brittannis ad Te quæ vénit ab oris
Muſa, *Cirenbergi*, juſtæq; hanc laudis acerram
Exiguam geſtat; quòd ſi propiora rogâris,
Oxonium hoc nôris advectum Carmine, & omnes
Quas nutrit Phœboq; Ioviq; Academia Nymphas.
Nos & (*Pembrochij* pignus) Monumenta *Baroccî*
Legimus, & *Rôi* cupido luſtramus ocello
Munera, ab Eoo tranſvecta Volumina Phœbo.
At nuſquam eſt noſter quo ſe plus jactat Apollo
Quàm, quòd CONCILII Calamo duo ſæcula paſſo
Deſcriptum *Archetypon* monſtrat, Rôoq; Tibiq;
Imputat alternans, & gaudet vtroq;. Triumphant
Bodleij cineres, & honori ſcrinia plaudunt;
Vicerunt tandem invidiam quoq;. Diphthera priſci
Si veniat Iovis, aut Phœnicum prima tabella,
Aut Folium à Cumis, aut Nili docta papyrus,
Non his Membranis contenderit. Vt juvat iras

Pontificum,& cæcos ſub Relligione furores,
Fulminaq; , fraudeſq; , metuſq; , minaſq; Latini
Eugenij,& Reges mitrata in Bella vocatos
Cominùs aſpicere; & nulli jam fidere Prælo !
Non Expurgantis rabiem hîc vngueſq ; timere
Indicis, heu metuenda bonis Scriptoribus arma !
Æternæ Pelles , cumq; ipſo Sepia mundo
Victura,& quovis Plumbum pretioſius auro,
Cætera perpetuo doctum firmare Sigillo,
Quis,quibus è tenebris qua vos ex clade redempta
Servavit nobis Genius ? dederatq; ferenda
Trans flatus Boreæ , gelido ſub cardine Mundi
Vltima quà poſitos complectitur vlna Boruſſos
Tethyos,atq; Helice ſublimi circuit aſtro?
Certè his non Artes olim,non notus Apollo
Sedibus;horrebant Vrbes,latéq; ſonabant
Sarmaticis campi frænis, Scythiciſq; ſagittis.
Fallor ? An hinc,Phœbo invifi, infeſtiq; , ruebant
Cimmerii,& toties cultum exundabat in orbem
Iam conjuratus Muſas extinguere Gottus ?
Omnipotens Tempus,tuq; imperioſa vetuſtas,
Hoc operis veſtri eſt,veſtræ miracula dextræ
Cernimus. hoc jam ipſo poſtremæ in margine Terræ
Phœbus,& Aöniæ poſuere ſedilia Nymphæ.
O Clariæ laurus,cortinaq; Delphica, Lympha
Caſtalis,& Cynthæ ſacri Criſſæq; receſſus,
Et nemus Asterius,contextaq; cornibus ara ;
Fúgit veſter honos:quid jam non credere fas ſit ?
Ecce ! Helicon vacat,& Mæandri flumina Cygni
Deſeruere,ſilent Lycij vada garrula Xanthi,

Græcia

Græcia Barbariæ nupsit: sua magnus Apollo
Transtulit arma, arcumq;, lyramq;: novemq; Sorores
Secum ad Sauromatas duxit, pictosq; Agathyrsos;
Atq; alium Geticis Parnassum invenit in agris.
Huc & Cecropiâ migravit Pallas ab arce
Exul, & Arcadicæ præpes modulator avenæ.
Hîc Tripodes nunc, & Phœbi incunabula Delos.
Hinc prisca Autorum gaudent Monumenta renasci,
Sive novis properanda Typis, & paginâ aëna,
Sive fide calami lentè emendanda vetusti.
Macte *Cirenbergi*; hanc laudem Patriæq; Tibiq;
Perpetuam præstes, & fausti sideris vrbem
Protege Consiliis studiisq; ornato *Gedanum*.
Nos tua, dum Thamisis clementibus alluet vndis
Oxonium, & longis erroribus *Istula* major
Sarmaticum prono propellet gurgite Pontum,
Dumq; coronabit Rhenum Basilea superbum,
Et mente, & gratâ recolemus nomina famâ.

THOMAS MASTER, *Art. Magister & Collegij Novi apud Oxonienses Socius.*

Clarissimo viro Domino IOANNI CIRENBERGO.

NOn perdidisti pignoris laudem tui
(Pomerane celebris) ne time pelagi minas
Fluctusq; decimos; tutus emersit liber;
Avidaq; dextra capitur; & gestit simul
Hunc intueri tota Pieridum cohors,

Voluit, revolvit paginas, nullo ſatis
Contenta ſtudio, paginâ nullâ ſatis.
At quos honores grata meditatur tibi?
Tam liberali quid parit dignum manu
Fæcunda pietas? Ecce Caſtalios lacus
Pleno refundens alveo, numeros parit,
Verſumq; mittit, grandius tentans nihil.
Sic illa cæli memorat Heroas ſui.
Sic illa laudes grata Bodleij canit,
Tuaſq; (Savili;) ſic & Hiſtoriam tuam
(Camdene) penſat. Tale monumentum dedit,
Sacer Iacobi quando tegeretur cinis.
Celebratq; meritum carmine exili Tuum
(Generoſe Cirenberge, patriæ ſtellula.)
Micabis inter fulgidas Britonum faces
Rutilante radio; dumq; erit libris honos,
Dum præminebit firma Bodleij domus,
Te nulla nubes, nulla fuligo premet.

R. Owen *In Artib. Mag. è Coll. Orielenſi Socius apud Oxonienſes.*

Ad Clariſſimum
IOHANNEM CIRENBERGIVM *Dantiſcanum, qui Baſileenſis concilij Autographon pulcherrimè conſcriptum dono dedit Inſigniſſimo* THOMÆ ROE *Equiti Aurato, quod hic denuò Bibliothecæ Oxonienſi tranſmiſit.*

ANtiquæ Synodi Pater vocande,
Ac Libro Reuerendior vetuſto;

Donaſti

Donasti ſacroſanctius Volumen;
Augnſtum *Meriti* tui volumen.
In quo Lucidus Ordo ſyllabarum
Ornatu coeuntium venuſto,
Et pulcher typus, & placens character,
Et chartæ niveus decor politæ
Affundunt quaſi *Lumen*, vt Legantur.
Nullo in margine ſqualor, aut Lituræ,
Aut veſtigia *pollicis madentis*;
Annos ſi numeres, putes trecentos:
Si ſpectes *faciem*, putes nec vnum.
Per diſcrimina temporis relapſi,
Creuit *gloria* non Libri Senectus.
At quæ ſcrinia Codiciſvè ciſta,
Quam nec blatta perederit nec *ævum*?
Ex tali *ſtatuam* Faber *metallo*
Efforma; ſtatuam Librum tuentis.
Debetur Tibi Codicis ſenecta:
Qui vitam Patribus, Pater ſecundus;
Qui Libro tribuis, Secundus *Autor*.
Per Te reſpicimus velut *coævi*
Retro ſæcula redditoſq; Patres.
Libros tollite, *præla* quos recudunt
Errato numeroſiore plenos;
Purgans pagina maius his volumen.
Inverſæ reſupinus ordo vocis,
Diſcors ſchedula ſchedulæ ſequenti,
Multi codice codices in vno
Tam ſenſu vario trahunt legentem;
Vt farragine diſcolor volumen

Sit visum quasi *multiplex* nec *vnum*.
Mox confer geminos simul Libellos;
Autorem geminum putes nec ipsum.
At Tu prototypo Liber nitore,
Tu sculptus quasi *gemmeo lapillo*,
Fugisti maculis inusta præla.
Hoc in Codice si putandus *Error*,
Nudam fallere crede veritatem,
Fiat fabula *Sanctus* & *Senatus*.
Esto Lima Typographis futura.
Nusquam fragmina paginæ minoris,
Aut vultus mutili vocabulorum;
Nusquam aggesta *parenthesis*, vel auctus
Commento vitiosiore textus.
Tam fidus Synodi tenor peractæ;
Vt iam nec Synodum putes peractam.
Ergo fundite gratias, Poetæ:
Roo fundite gratias Patrono;
Qui mundi volitans plagas per omnes,
Non Linguas mage quàm Libros reportat.
Qui cum notior Indiæ sit Indo,
Nullis advena, non tamen locorum
Libros pinxerit aut leues Tabellas;
Visit Climata, fiat vt Patronus;
At nulli (Pomerane) quàm *Gedano*
Terras Oxonij magis ligauit.

RICHARDVS BVSBY *in Artibus*
Baccalaureus ex Æde Christi
apud Oxonienses.

IOANNI

IOANNI CIRENBERGIO
Clarißimo.

D*Atus & Sigillatus!* Placet; Nam *Syngraphæ*
Sub formula hac ad nos *Cirenbergi* Tuum
Oportuit librum venire, qui poteſt
Sic *Obligare*. Quàm ſuperbiunt Opum
Muſæ ſuarum conſciæ, quoties Tuum
Bodleia moles pandit Archetypum! Placet;
Nam Literarum iure veneramur notas
Vetuſtiores: altiùs Typographicis
Scriptæ Figuræ mentibus noſtris ſedent;
Et exaratrix Penna Prælo ſtat prior,
Honore tantum, ſæculis quantum prior.
Hæc imperante ducta ſub manu, graue
Opus gradatim cudit, & pretium ſibi
Lucratur ex labore: dum Prælum leui
Impreſſione devenuſtatos Libros
Quaſi proſtitutos prodit, & Lectoribus
Perſuadet ipſis negligentiâ legi
Iſtos eâdem poſſe qua ſolent premi.
Vt Advenarum turba concurrit frequens!
Pars iſta Titulo poſtulat librum ſuo,
Pars illa nomine hæret in Tuo. Placet.
Vterq; vtriq; ſic enim famam parem
Præſtat: perennem Munus Authorem facit
Authorq; Munus, Ipſe victurus Libro,
Genioq; rurſus Ille victurus tuo.
Vt invident Hoſtes reponi Scrinijs
Noſtris volumen, Roma quod cupit ſuum.

Nec

Nec possidet! Placet vel illud: Sic enim
Torquere Romam te decet, pium impiam,
Donoq; provocare qui vita potes.
At interim Nemo beneficio pares
Meditatur isti gratias; leues Tibi
Agrestiorum parturimus Carminum
Ineptias! Heu illud illud non placet.
Iterumne Musæ literas Illi darent
Qui literas Musis dedit? Retributio
Insulsa! Spectatur Amor in *Folio* Tuus,
Et noster in *Quarto* redit? Retributio
Truncata! Misisti Librum veterem, grauem;
Novum, Poëticum feres? Retributio
Nulla! Ergo quisquis hæc legit sic sentiat,
Fecisse Te fieret vt *Obligatio*,
Fecisse Nos vt *Vniversi nouerint*.

THOMAS GAWEN *Oxoniensis*,
è Collegio Novo.

Spectatissimo Viro D° IOANNI CIRENBERGIO,
Dantiscano ob acceptum Basileensis Concilij
Αὐτόγραφον, *ex Ipsius Conservantis, Nobilissimi* THOMÆ ROE
donantis beneficio.

SAncte liber, quo fit Synodus sibi prisca superstes,
Cujus virgineos ostendit pagina textus,
Archetypasq; refert, prælo mirante, figuras:
Tu facis, vt certo non cedat dextera prælo;

Nec

Nec calamus sit voce minor, collataq; scriptis
Lingua tuis taceat. Tam clarè litera spirat,
Tam certis vivunt expressa vocabula formis,
Vt membrana loqui credatur, pennaq; verbis
Inseruisse sonum, Lectorq; audire figuras.
Ceu te non læsum textus mysteria, ceu te
Docta *Cirenbergi* servarunt scrinia tutum;
Post tot, quæ meritò faciant te, sæcula, Patrem,
Totus ades; nec te violauit longa vetustas;
Sed juvenem librum, nostro quoq; tempore natum
Spiranti primus mentitur imagine vultus.
Nec textus solùm nobis monumenta ministrat;
Erudiet docto lectorem Bulla metallo
Pendula; quâ signata, fidem pia scripta merentur;
Instruet & plumbum, poterisq; citare sigillum.
Miratur Criticus veterum fragmenta librorum,
Quos Mus *Perspicuos*, & rodit blatta *Disertos*,
Quos monumenta facit solùm imperfectio sensûs.
Nimirùm vacuæ delecta vocabula chartæ,
Et revocata placet læsi expiratio verbi.
Scire juvat, quod charta tacet; juvat addere sensum.
Sic semesa novis dubiis dum verba resarcit,
Scriptorem superat; sic fit, dum corrigit, Author.
At non prototypi cineres, horroruè libelli,
Aut laceri superest tibi sola voluminis vmbra;
Emendare potest Criticum tua pagina; cujus
Vlla tamen pars docta foret, sanctæq; ruinæ
Sufficerent Libro. Nec Te laudauerit ætas,
Aut annosa dies; Ipsis Oracula cunis
Te tua fecerunt priscum, sæclumq; dederunt,

Et veneranda fuit tibi sub Scriptore senectus.
Semper eris reliquis Mens prima, & regula libris,
Cujus ad exemplar correcta volumina sano
Nascentur textu; prælum nec polluet error;
Nec dubias pariet sensus discordia lites.
Dic quis Te dederit; quis tanti Muneris Author?
Quis Vaticanam dono transmiserit vno?
Magna *Cirenbergi* laus hinc tibi, gloria magna
Inde Röo petitur, dubio certamine munus
Dicat vterq; suum. sed nec Liber iste minores
Authores meruit; numeroso munere crescens
Non potuit semel Iste dari. Quæ scrinia, clausis
Dantiscane tuis, tam rara volumina donent,
Vt monumenta Röus credat? qui nec novus Indus,
Nec loca quæ nobis pingunt incognita Mappæ.
Mitte librum ignoto scriptum sermone, character
Sit dubius, simulet mutas scriptura lituras,
Interpres Röus vnus erit, commercia Mundo
Cujus lingua facit, Cujusq; vno ore loquuntur
Tot gentes, totus cui patria dicitur Orbis.

IASPER MAINE, *in Art. Baccalaureus, ex Æde Christi apud Oxonienses.*

Ad Clarissimum Virum, Dominum IOANNEM CIRENBERGIUM, Antiquitatis *Vindicem.*

SIC sic verendos Romuli vultus stupet
Serus Senatus: Sic Numæ sanctum caput
Horrens in auro, Martii dubio colunt

Stupore

Stupore Cives; & ſuperducens novos
Poſt fata cultus, efficit timidè pios
Senex metallum. Cernit antiquos libros
Fœlix Gedanum; quoſque ſuſpexit diu
Præli in fluento mundus, illimi videt
In fonte calami. Nomine hoc vno bene
Antiquiores audiunt, quoniam Tuas
Curas merentur; atq; virtutis loco eſt
Tibi placere. Ducis è tenebris Patres
Longùm ſepultos: poſthumum reddis diem,
Agiliq; longas injicis fuſo moras,
Patrumq; Pater es. Membra laceri corporis,
Vagamq; plebem partium in ſedes ſuas
Piè reponis: Vtili Scriptor nece
Vel ex ruinâ pulchrior ſurgit ſuâ;
Repullulantis lætius fati bonum
Periiſſe factum eſt: Nil peregerunt Deæ
Solertiore ſtamina rotantes manu;
Priore vixit ſæculo, floret Tuo.
Parùm eſt quòd vnam gente de quavis ſibi
Statuerit vrbem Romulus: Curis tuis
Anguſtiore ſcrinio mixtæ jacent
Tot pœnè gentes, quot libri, & ſedes replet
Melior popellus: atq; Muſæum Tuum
Sphæræ Archimedis ſimile, parua machina eſt,
Sed fœta mundo, ſed polo incluſo tumens,
Suoq; cœlo. Primulos monſtrans libros
Dicas licebit, Has Pater duxit notas,
Has ad lucernam paginas feſſus ſenex
Tremente dextrâ ſcripſit: Incerta interim

 Variaq;

Variaq; nobis lectio mentem trahit,
Dubiasque rixas ciet, & author sæpius
Authore in ipso quæritur. Vivas precor
Caput sacratum Sæculis; fias viris
Spirans volumen ipse; In exemplum, precor,
Vnus legaris posteris: Qui sic colis
Antiquioris sæculi exesos viros,
Nunquam senescas. Congruum prorsus foret
Vt qui profundo liberas alios situ,
Fatumque pellis, mutuâ tutus vice,
Nec fata videas, nec situm noscas Tuum.

GVILIELMVS CARTWRIGHT *ex Æde Christi, Oxoniensis.*

Ad IOANNEM CIRENBERGIVM *Dantiscanum Virum Clarissimum, Ode.*

Foecunda Dantiscum bonis
Beata frugum civitas,
E proximo dives mari,
Sed merce nullâ ditior,
Quàm quòd *Cirenbergi* parens
Fruges tot antiquas simul
Messesq; literarias
Mores & antiquos magis
Et scripta paucis obvia
Et codicum Gemmas foues,
Quas ille raras vndiq;

Non æſtimator frivolus,
Omni redemptas è ſitu &
Suo exhumatas pulvere
Contraxit in penum ſuam,
(Quâ non cluet quæſitior:)
Ipſiſq; jam certat libris
Quis literarum ſit magis
Illine an Ille armarium.
At non repoſtis ſordidus
Poſſeſſor incumbit bonis;
Vniq; doctus eſt ſibi,
Dam noq; noſtro abſconditæ
Pretium ſcientiæ adſtruit
Vt priſcus audiat ſophos.
Odi genus moroſulum
Queis myſticum eſt quicquid ſciunt,
Qui ſic ſilentio truces
Signant premuntq; chartulas,
Defoſſa qui ſcripta eruunt
Inventa quo lateant magis,
Qui ſemper à populo cavent.
Quid ſtipiti indocto intereſt
Fraude eruditus publicâ?
Vniq; damnans capſulæ
Quæ debet omnibus bona?
Scientia populi eſt opes.
Malo innocenter barbarum,
Quàm qui malignè ſic edit
Suos (tinea) libellulos
Et neminem ad partes vocat.

(Sit hæc avarities licèt
Haud literatis insolens,
Tantoque peior hìc lues
Quo pejus aurum literis.)
Non sic *Cirenbergi* manus
Constringit has tenax opes,
Privasq; delitias facit,
Sed hospitales literas;
Foresq; non clausas suæ
Domûs, perinde ac pectoris;
Nostrumq; Musæum colit,
Quò quisq; lector advena,
Conviva gratus accubet
Vnáq; decerpat: parum est
Ni Xenia tollat insuper,
Dum ne quid hospiti neget
Soli sibi negat sua,
Solùm hîc negare sustinet:
Emitq; queis careat lubens,
Ideoq;, quò careat, emit
Voluminum lectissima.
Idemq; maximè in suis
Fruitur quod & aliis dedit:
Nos esse dum mavult suos
Totis vel emptos scriniis:
Nescire contentus quoq;,
(Quæ scire soli fas erat)
Ne nesciantur publicè;
Quàm candida ignorantia!
Stat semper Oxonia rea

Non

Non æstimandi muneris,
Archiva dum lustrat sua,
Ibiq; Concilium tuum,
Quod maluisti tu omnium,
Volumen instar millium,
In sanctiori nidulo,
Ipsis vel Archivis decus:
Gratâq; linguâ prædicat
Nomen *Cirenbergi*, & librum,
Vnumq; plus Nomen libro.

IO: EARLES *Art. Mag. Collegij Mertonensis Socius, Oxoniensis.*

